

POSITIONES
AD MEDENDI METHODUM
SPECTANTES

IN CONCURSU AD PRIMARIAM
MEDICINAE CATHEDRAM

DISPUTATIONI PROPONIT
NARCISUS PEYRI,
ET DES-CARTES M.D.

PRO ANATOMIAE, APHORISMORUM,
ac Theoriae Cathedris, iam quinquies; bisque pro Regii, Ge-
neralisque Nosocomii primariis medicaturis candidatus:
extraordinariae Cathedrae olim, nunc Primariae Fi-
delis. Senatus decreto moderator; & Regiae
Tormentariorum Cohortis Medicus.



IN ACADEMIA VALENTINA
DIE XVIII. APRILIS M.DCC.LXXVI.
VALENTIAE:

EX PRAELO BENEDICTI MONFORT
M. DCC. LXXVI.

FIDELISSIMAE
VALENTINAE URBIS
SENATUI:

D. D. IOHANNI DE CERVERA, PRAETORI DIGNISSIMO,
Iustitiae Maiori, & Centurioni Valentinae Urbis, eiusque Gu-
bernationis, cet. cet. cet.

Magnificis Valentinae Urbis Rectoribus:

- D. EMMANUELI FERNANDEZ DE MARMANILLO RAMIREZ DE LA
PISCINA, in S. Officio Valent. Inquisit. Primario Apparitoris
D. IOSEPHO MIRALLES, ET CEBRIAN, Academ. Regiae Historico-
Matrit. Socio Honorario.
D. IOSEPHO NARVAEZ, ET PORTOCARRERO.
D. FRANCISCO PASCHALI CASTILLO ISCO, ET QUINCOZES, Phil.
Mag. I. U. D. Academiae Matritensis Regiae Nobilium Artium
Academico Honorario, Regiae item Valent. Artium Academiae
Primo Consil. Marchioni de Jura-Real.
D. FRANCISCO CEBRIAN, ET BORDES, Regii Militaris Ordinis B.
Mariae de Mont. ac S. Georgii de Alfama stemmate decorato:
D. IOSEPHO CALDES DEL REAL, ET BAS DE CARMONA, I. C. D.
Regiae Acad. Valent. Nobilium Artium Academico Honorario.
D. ANTONIO PASQUAL, ET GARCIA DE ALMUNIA, I. U. D.
D. VINCENTIO PASCHALI GVERAU DE ARELLANO, PUCHADES,
SISTERNES DE OBLITES, Phil. Mag. I. C. Baccalaur.
D. FRANCISCO BENEDICTO ESCUDER, ET SEGARRA, I. C. D. &
Valentini Fidei violatae Tribunalis Ministro Familiari
D. PETRO MERITA, ET LLAZER, I. U. D. iam Instit. Imper. Prof.
& Consil. Matheseos Cathedrae candidato.
D. IOSEPHO VINCENTIO RAMON DE CASCAJARES, DURAN, HER-
LA, ET HENRIQUEZ DE NAVARRA, Baroni in Tamarit.
D. GASPARI PASTOR, ET ROMBAU.
D. BERNARDO IOSEPHO DE BERTODANO, ET NARVAEZ, NEYPER,
TRIPS, BERRIO, GUZMAN ET OVIEDO, Marchioni de el Moral,
Regii, & Militaris Ordinis S. Iacobi Equiti Professo, & Dimis-
sorum Lusitaniae Centurioni.
D. IGNATIO LLOPIS FERRIS, ET SALT, Phil. Mag. I. C. D. Regiae
Matriten. Iur. Pub. Acad. in Reg. Conf. Advoc. Colleg. eiusd.
Alumn.

Alumn. & in Reg. Valent. Auditorio Pauperum Patrono.
 D. ONVPHRIO VINCENTIO DANVILA, ET SOLSONA, I. U. D.
 D. MAURO ANTONIO OLLER, ET BONO, Regal. Gratiae Decimar.
 Noval. Iud. Apoft. & Reg.
 D. IOACHIMO ESTEVE DE ARBOREDA, MAS DE MASPARROTA,
 I. U. D.

D. SALVATORI MUSOLES, ET XLMENO, I. U. D.
 D. EMMANUELI GINER, ET GINER, I. C. D.
 D. VINCENTIO GUILLEM BUZARAN, ET ELVIRA.
 D. IOACHIMO ESCOLÀ, ET CLIMENT, à Consiliis Reg. Adv.

Sindico Gener. Urbis Procuratori dignissimo:
 D. MATHIAE PERELLÒ, Phil. Bacc. I. C. D. à Reg. Consil. Advocat.
 ac in Auditorio Supremo Valentino olim Pauperum Causidico.

Consultissimis eiusdem Urbis Advocatis
 D. IOACHIMO SOLSONA, ET SOLER, Collegii Regii Martitenfis
 Causarum Patronorum Socio, Decimarum, Primitiarum, &
 Tertiarum Urbis, ac Regni Valentini singulari Iudici Regio,
 Palatii Regalis, ac etiam Consulati Maris, & Terrae eiusdem
 Urbis Assessori allecto, & Reorum violatae Religionis apud Va-
 lentinum S. Inquisit. Tribunal Advocato.
 D. IOSEPHO IGNATIO ALPHONSO, ET MOREO, Phil. Mag. eiusdem
 Facultatis, & I. U. Cathedrarum, & Praepositurae Civilis can-
 didato, I. U. D. Mont. Mil. Advoc. ordinario.
 D. IOSEPHO MARIAE ALEMANY, Iur. Caes. & Pontif. Doct. pro
 variis utriusque Iuris Cath. Praepositura, & Canonicatu candida-
 to, Imperial. Institut. postea Profess. & I. U. C. nunc vero à Reg.
 Consil. Advocato, Valent. Colleg. Alumn.
 D. VINCENTIO FERRER, ET PERALTA, Iuris Caesar. atque Pontif.
 Doct. pro variis Cathedris, atque Praepos. candidat. iam olim
 Instit. Cath. Profess. & Cens. Illmi. Dom. Archiep. Adv. Conf.

Fidelissimo Secretario.
 D. THOMAE TINAGERO, ET VILLANOVA, Phil. Mag. I. C. D.

*VIRIS QUIDEM AVITA NOBILITATE, SPLENDORE VITAE,
 dignitatis gradu, virtute, atque doctrina Illustrissimis, ac Acade-
 miae Valentinae Patronis dignissimis, has Medicinae Theses, D. O. C.*

Narcisus Peyri.



MEDICINA SALUBRIS.

I.



INIS Medicinae, quam Hippocrates per adiectionem, & detractionem aptissime descripsit, sanitas est: perfectissimus vitae status, in quo omnes vitales actiones optimam, & completissimam in vitae viribus perfectionem arguunt.

II. Ab hac ubi defectit homo corripitur morbo, qui est: Affectus praeter naturam actiones primo laedens.

III. Nedum ergo amissam restituere sanitatem, sed & tueri praesentem debet Medicus, ut optimus naturae minister, hinc

IV. Et quae actionibus incommodant, ut amoveat; & quae secundum naturam perficiunt, ut sustineat, nosce oportet.

V. Nemini autem, nisi casu, datum morbum dignoscere, & curare, affectu, qui secundum naturam inest ignorato.

VI. Licet homo sanus nullis debet obligare se legibus, nihilominus tenetur Medicus praevidentiae operam dare, docereque rectum usum eorum, quae vitae, & sanitati prospiciunt, ne forte excessu, defectu, aliove errore fiant ex antidotis venena.

VII. Sanus esse qui volet prudens esto, naturae modum non excedat, nulli assuescat vitae generi, furgat postquam sedierit, auscultet fami, ac siti, sobrie vivat.

VIII. Integrae valetudinis tempore sui quisque Medicus

cus esse potest, non diffitemur; tutius tamen aget, si quae experientia nittuntur, & ratione sibi adiscat.

A E R.

IX. **A** Er, primus inter necessaria, & suis affectionibus, & corpusculis, quibus impraegnat, & spiritu vitali, quo turgēt; ore inspiratus pulmonibus, & cordi prospicit: 1. vitales spiritus coercens, regenerans, & in sua mediocritate retinens: 2. refrigerans: 3. sanguinis motus iuvans.

X. Naaibus attractus spiritus fovens animales favet cerebro.

XI. Alimentis imbibitus fluiditatem conciliat, digestionī, caeterisque muniis famulatur.

XII. Corpus penetrans universum, nullam non partem adit, nullam non exercet facultatem, nullam non perficit functionem: hinc quantum intersit purum respirare.

XIII. Aurora dat saluberrimum, funestum nox: videant ergo quam improvide agunt, qui ad tertiam diei partem surgunt.

XIV. Ruralis ubi plantis, & floribus prata rident, plurimo scatet aromate, plurimoque vivificatur spiritu; nec vires naturae desiderat, ut reficiat, & recreet.

XV. Quantumvis purus perpetua renovatione indiget, ut perfundatur spiritu, alias redditur iners; quare in magnis hominum congressibus; offensam in respiratione, animi deliquia, aliaque bene multa patimur.

XVI. Quoties mutat qualitates morbos parit; si riget frigore hyemales, aestivales si aestuat calore: haec si mutuo se excipiunt autumnales. Cur non omnibus eadem eveniunt? quia naturarum aliae ad aestatem, aliae ad hyemem bene, vel male sunt constitutae: Memor esto regionis, & aetatis.

Pro-

XVII. Propriae temporum mutationes minus, quam accidentales timendae sunt. In universum siccitates hymbribus salubriores; quia ab his & deteriora, & curatu difficilia mala fiunt.

XVIII. Sibi optime consulunt, qui morbos praecavendi gratia loca adeunt sicca, & quodammodo frigida, ut corpus, animusque iuventur.

XIX. Vitanda sunt loca fimo, cadaveribus, id genus aliis gravia; stagna, paludes, arvaeque madentia. Discant ergo quam infauste delirant, qui lucri faciendi gratia, provita, ut aiunt, sustinenda; vitam miserrimam, aerumnis plenam, atque brevem sibi faciunt, & aliis.

CIBUS.

XX. **Q**uamdiu vivimus egemus alimentis, ut corpus nutriatur, & augeascit. Naturae legem trahimur ad esculenta, & potulenta, ut sitis expleatur, & fames. Utrique donec viget auscultandum, non item appetitui, quo saepe illudimur.

XXI. Interdum ieiunare melius est, quam aliquando excessum facere. Turpis eorum voluptas, quorum Deus venter est, ob insidiantes coquorum illecebras ingerens ultra satietatem.

XXII. Expedit nullum fugere cibi genus, quo populus utatur; qua sunt tamen, quibus numquam uti, vel raro, praestantius est.

XXIII. Salitae veterum animalium carnes, fumoque induratae stomachum tenacitate superant, & acredine offendunt.

XXIV. Pingua, & oleosa solida relaxant, fluidaque enervant, difficile coquuntur, acria, & obstruentia fiunt, dolores pariunt, anxietates, & febres.

XXV. Olera, praesertim omnes brassicae species, legumina graveolentia flatu excitant, tormina, & cruditates.

XXVI. Iuniorum animalium carnes omnium sunt saluberrimae, demta suillari. Fugienda est autem malis artibus alliciens coquorum industria. Quo simplicius parantur, eo sunt salubriores. Assae facillimae, & nutrientes: elixae, eo sunt difficiliores, quo plus coctae.

XXVII. Vegetabile temperat animalis alchalescentiam; hoc illius alcescentiae resistit. Sunt ergo mutuo temperanda, ut mitescant, hinc

XXVIII. Errant, qui uni assuescunt cibo: omnibus promiscue uti pro valetudine est.

XXIX. Solo pane non vivit homo, utut absolutae necessitatis. Purus magis nutrit quam alterat. Quibus alvi sunt segnes à fursure non mundatus convenit.

XXX. Optime nutriunt ova rescentia, levem, imo, nullam experiantur cocturam. Albumen si concreverit, non amplius liquefit: Modice calefactum forte dat nutrimentum, & facilis coctionis.

POTUS.

XXXI. **P**otu sitis expletur, escaeque solvuntur, ut alant. Primus inquam unicus, est aqua: quae omnia per omnia nutrit, quamvis vorax, quia fere nihil habet alimenti.

XXXII. Quae cito calet, citoque friget optimia. Crudus fons è rupibus ad Orientem scaturiens fluvio, puteoque praefertur. Lacus, palusque sapiunt biliosam corruptionem. Salsae, coqui nesciae, alvum sistunt.

XXXIII. Arte refrigerata fit se levior, corrumpitur, nec ad se redit: quam iniuste eam praedicant nostrates, quidque eius honestat usum, nisi abusus?

XXXIV. Vinum genere penetrans, & humidum: forma calidum: substantia inebrians, famem solvit. Modicus eius usus inter caenandum utilis. Reliqua inhaebriantium caterva, angue peius fugienda est.

Et

XXXV. **E**T cibi, & potus vices lac gerit, nutrit, & humectat; omnibusque dotibus, quae in caeteris desiderantur, pollet: simplicissimum, assimilatu facile, nutrire, & roborare à natura paratum.

XXXVI. Eius excellentiam testatur ablactatus super matre sua. Quod si moras trahit in stomacho, succilve occurrit inimicis, caseus à butiro, serum ab utroque recedit.

XXXVII. Hoc alluente intestina fit diarrheha; permeante renes urinae fluxus; reptante carnes cutis distillationes. Quot, quantaque mala ex praepostero lactis usu eveniant, quisque sciet, horum qui cognoverit effectus. Agit ergo carnificem non medicum, qui quemlibet opem quaerentem, per viam lacteam relegat ad plures.

XXXVIII. Itaque ne ex optimo fiat pessimum, lac facile ferentibus suadeatur ex sana, vegetaque praesum facmina, bubulum, aut caprillum; & ingeratur copia, quae stomachum non gravet, à pastu, vitatis ascessentibus quam longissime distet.

XXXIX. Afsininum parum nutrit, nihil roborat, nimis laxat: ventrem alluendo; solida laxando; totique humiditatem impertiendo, nihil utilius.

SOMNUS, ET VIGILIA.

XL. **I**N Somno tria sunt attendenda duratio, tempus, & locus. Cuilibet, exceptis pueris, septem, vel octo ad summum horis dormisse, satis est: Etenim Somnus, & Vigilia utraque si modum excesserint malum.

XLI. Somni terminus perfecta ciborum coactio. Igitur qui bene concoxit mane tuto surget; qui parum qui esseat, ac neque labori se, neque exercitationi credat.

XLII. Fracto laboribus requies aliquantulum longior debetur. Solis concedenda diurnia, quibus nocturna interdicta est.

XLIII. Non prohibet auroram salutare, tenendum de vitando frigore matutino praeceptum. Utilitatem surgendi ubi alacres evigilamus, molestia, qua post secundum Somnum angimur, evincit.

XLIV. Locus sit frigidus, corpusque bene cooperatum. Nec pedes sint frigidi, nec stomachus gravatus alimentis.

MOTUS, ET QUIES.

XLV. **O**tium brevem, fractamque vitam facit, quam roborat, protrahitque labor: est vero cessandum aliquando; quod alterna requie caret durabile non est.

XLVI. Otio solida fiunt flaxida, torpida, & inertia fegnescentibus liquidis undique praeter finem irrorantur. Inde obstructions, stagnationes, obliterationesque virium deffectui adscribendae.

XLVII. Ab his finis incolumes per exercitia, quae & suppleant, & impertiuntur vires. Qualibet exercitatione nova fruimur aura, qua reficimur, & recreamur.

XLVIII. Quaeque exercitatio sua donatur utilitate. Valida musculos, nervosque roborat. Celeris excretiones movet, ac secretiones, totique alacritatem conciliat. Sunt exercitationes, quibus unae potius quam aliae partes exercentur.

XLIX. Cibum antecedant labores, nec à somno statim ineantur, quorum finis sit sudor, aut certe lascitudo, quae citra fatigationem sit. Quem interdiu tenuerunt officia, huic post concoctionem ambulationi locus sit.

L. Quibus movemur, quidem celeriter, non tamen valde fatigamur; replere potius quam evacuare datum est. Liquefacta per insolitum exercitium, à parte ad partem

lata, utrique parti nocent, neutri vero, si foras amandentur.

EXCRETA, ET RETENTA.

LI. **Q**ui male ingerit, digerit, aut egerit hic sanus non est. Functiones, quae humorum secretioni respondent, integrae non sunt, ubi rite non fiunt excretiones.

LII. Qui bene transpirant difficile incidunt in morbos, & facile liberantur ab eis. Est igitur quam maxime enittendum, ut libera suis omnibus absoluta numeris sit transpiratio.

LIII. Quum languet, corpus mundare, leviterque fricare auxilium est. Nimiae vestes sudorem exprimentes, transpirationem minuunt; deficiuntque si desunt necessariae. Tepidi prae omnibus sint pedes, ne via morbis Chronicis sternatur.

LIV. Adsidua salivatio corpus exsiccat, & alimentorum concoctionem subvertit. Expediit tamen evigilantes spuerе, excreare, tussire, nares emungere, exonerare ventrem, & vesicam.

LV. Mictio multa sola vitali actione contingens siccam reddit alvum. Sic iuvenibus, melior est quam humida; modo sit naturalis.

LVI. Deiectio optima est, quae mollis & consistens alimentorum quantitati respondet, leviter rufa, & non nimis foetida.

LVII. Segnescenti alvo alimenta tutius quam medicamenta subveniunt; quies, & inedia nocent.

ANIMI PATHEMAT.

LVIII. **M**ens nostra, & corpus, quamvis natura nullo modo convenient, sunt sic a Deo unita, ut in se invicem agant, & patiantur. Si
quod

quod est nexus assignabile medium, proculdubio sunt spiritus, qui nedum agendo consummuntur; sed & varias partes afficientes miros praestant effectus. Hinc ab animi pathematibus tot, tamque dissitae apparentiae.

LIX. Affectus animi sunt in quantitate, vel motu. Prima vel immoderata corpus alterat, gravium morborum causa mortem saepe inducit. Vel moderata, sub eaque quietus est animus, placidam constantiam parit, appetitiones sedat.

LX. Sanguinem, spiritusque subito, & cum impetu motus pellit, aut ad exteriora, tuncque intus refrigeramur, extus calefimus, syncops, aut mors inducitur, aut ad interiora, haecque ardent, algent opposita. Laetitia mediocris hylares facit, ac facetos, profussa syncopam, aut mortem, senibus praesertim, ac imbecillis. In pudore qui species est tristitiae sanguis, & spiritus ad eas partes feruntur, quae maxime laborant. Sub timore tremimus, & pallemus membra deferente calore.

MEDICINA CURATRIX.

INDICATIO, ET CRISIS.

LXI. **M**edendi methodus perficitur indicatione, quae in naturalem dividitur, & adquisitam. Prima cuique patet, nemini vero sufficit: secunda rationis soboles, & experientiae, indeque solis data peritis, morbos pellerere probe noscit, diciturque laedentis, & iuvantis cognitio.

LXII. Morbum, eius causam, atque sedem; tempus, & occasionem scire oportet, ut medicamentum morbo appropriatum, causae oppositum, sedi amicum, debito tempore, & opportuna occasione in usum veniat.

LXIII. Plures indicationum sunt species, nunc simul, nunc seorsim adimplendae: Morbo, eius causae, ac sym-

symptomati conformes; sed prae omnibus urgentiori succurrendum: vias, temperiemque partis recordare.

LXIV. Haec ergo removenda, illa adiicienda, alia denique custodienda sunt. His satisfactorius, qui etiam in ancipiti, medicamenta usu non comprobata experitur, temerarius merito accusatur.

LXV. Difficile fit insuper iudicium, quum remedia esto selectiora tumultuose praescribuntur. Solus ille Medici nomine meretur insigniri, qui artem adhibendi remedia, bene callet: ex morbo, scilicet, eiusque essentia perveniens ad notitiam medicaminum, quod est, illa per indicationem, utpote rationalem consequentiam invenire.

LXVI. Licet quid sibi incumbat noverit, sciens quid ante quod, quid cum quo, & quid post quod; nisi sese convertat ad experientiam, oleum perdet, & operam inermis: quod si bene multa cognoverit expertus, medendi regularum inscius, inops erit in abundantia: ergo ad rite medendum ratione, & experientia opus est.

DIETA.

LXVII. **D**ieta, à qua totus cardo pendet, non solum indicatur à morbo, sed etiam ab aegroto. Eodem vitio afflicti sunt aliter, plerumque victitandi; condonantes aetati, tempori, & consuetudini.

LXVIII. Cuilibet morbo peculiaris debetur victus, quoad omnes scopos varius. Humidus, quodammodo refrigerans, & parum nutriens febricitantibus convenit. Pthisana ex hordeo, zea, oriza, milio, & aliis: pomorum decocta: & ad summum, si tempori inserviamus, tenuissima iuscula ex vitulina, arietinave carne, aut pullo gallinaceo herbis refrigerantibus alterata, omnem adimplent paginam.

LXIX. In acutis affectionibus, sub initiis aliquantum indulgemus, paullulum detrahimus usque ad finem, in accessionibus, si licet, abstinemus omnino. Mirabilis eorum pietas, qui viribus prospicientes, carnum valentissimis iuribus, toto febris tempore, aegros vel invitos faginant, morbo adiciunt, quod detrahunt naturae.

MEDICAMENTA.

LXX. **M**edicamenta, vel alterant, vel evacuant. Prima inter haec, purgantia, quorum divisio in phlegmagoga, hydragoga, colagoga, & melanagoga, tenenda est ad recte medicandum. Aegri natura, morbi causa, & anni tempus una potius, quam altera requirunt.

LXXI. Ex catarticis, quaedam lenia, quibus alvum, eiusque eluimus vicinia: fortiora vero alia, quae à remotissimis trahunt excernenda. Ante coctionem, fluiditatemque raro praescribuntur, quandoque etiam ante iudicium.

LXXII. Ventris tormina, genuum gravitas, & lumborum dolor absente febre, tutam faciunt infernam purgationem.

LXXIII. Emetica lenia stomachum distendendo, leviterque agitando vomitum cient; fortiora nervorum irritando principium.

LXXIV. Praeter impetum humorum ad os ventriculi superius, vertiginem, orisque amaritudinem, sunt alia bene multa, quibus emetica indicantur: ad vim enim expellentem augescendam, adeoque extravasata evacuanda, viscerum apostemata rumpenda, obstructions denique tollendas, optima sunt.

LXXV. In plethoricis, visceraque habentibus corrupta periculo non carent; nec ante praeparationem ex-

hibentur, quibus materia minus mobilis in parte quadam haeret.

LXXVI. Sola plethora venae sectionem indicat; sed ea sola venam non seccamus. Imminente morbo vasa faerimus remotiora; proximiora vero, iam praemente.

LXXVII. Mittendi sanguinis quantitatem definiunt morbi vehementia, aegrique vires. Hae melius ex arteriis quam ex ipsa specie aestimantur. In ancipiti, quantumvis impar videatur virtus, boni medici erit experiri.

LXXVIII. Acuti morbi, si ut par est, tractentur, crisi finiuntur, quae est: subita mutatio ad interitum, aut salutem.

LXXIX. Coctionis signa bonam antecedere debent: morbi quos illa curat, hac solvuntur. Pro comperto habemus nunc non esse observabiles, ut quondam; at non naturae, ut aiunt, inversioni sed medentium officiositati referimus.

FEBRIS.

LXXX. **P**ulsus velox, calor autus, & actionum laesio febrim constituunt. In omni attendenda sunt natura, motus & mos, ut ex arte instituitur medella.

LXXXI. Putridarum aliae ab initio decrescunt, suntque optimae, ac vitam sustinent: hinc nihil est agendum, praeter obsecundare naturae. Idemque in aliis, quae uno semper tenore pergunt, summopere laudandae, ac decimoquarto die certo finiendae, nisi accedat officiositatis, ut assolet, peccatum.

LXXXII. Si aeger sit plethoricus modice evacuandus est ante diem quartum: quum stomachus cruditatibus scatet, leni emetico eluendus est: segnis alvus clysteribus sollicitanda aeger in die ter quaterve alendus tenui iure, aliquo

quo ex cremoribus, ptyfanisve. Intermediis horis frigidam bibat, decoctum refrigerans, nitro, sale prunellae, cremore tartari, aliisve alteratum: noctu quiescat naturae, & consuetudini satisfaciens.

LXXXIII. Quae ab initio crescunt, omnique hora fiunt deteriores aegrum plerumque iugulant. Harum plures malignae vel ob latentem stimulum; vel ob functiones à diathesi inflammatoria laesas.

LXXXIV. Calor mittis, viriumque repentina iactura significant febrem essentialiter malignam. Calori siccitas adiuncta in iuvenili aetate dehortatur sanguinis missionem. Fetus, dilutio, & laxatio requiruntur; clysteres emollientes, potus aciduli, saponacei, & gelatinosi.

LXXXV. Alexipharmaca fugienda sunt, quia nimis coagulant; licet ad venenum expellendum valere censeantur.

LXXXVI. Calore urente, ac siti inextinguibili designatur ardens, cuius occasionalis causa, diathesis biliola, eiusque fortis obstrukiones; efficiens, quaecumque impense calefaciunt.

LXXXVII. Rigores sexto die supervenientes non semper boni sunt ominis, quamvis aeger non debilis existat.

LXXXVIII. Saepe solvitur haemorrhagia copiosiori, quam praenuntiant cervicis dolor, temporum gravitas, praecordiorum sine doloris sensu contentio, tandem faciei rubor.

LXXXIX. Pro tollenda febre parcae haemorrhagiae non fit auxiliatrix venae sectio.

XC. Iura carnum merito averfantur aegrotantes; frigidos, acidosque potus expetentes: quorum difficilior deglutitio pessima est ut signum, & ut causa.

XCI. Alvus in principio fluxa bene ominatur, pessime vero in fine. Tremores delirio solvuntur, sed morbus fit deterior.

XCII. Ardentem natura curat febrem per haemorrhagiam, vomitus, sudores, urinae fluxus, & alia, ad quae attendat Medicus, ut quo vergit, eo ducat per locum conferentem.

XCIII. Purus aer; integumenta minime suffocantia; potus demulcens, blandus, & subacidus, non uno mento ingestus, neque nimis sit frigidus.

XCIV. Hydrogala avenacea, serum lactis coctum cum oriza, cerasa vel ribesia ex aqua cocta, avena in pul-tem contusa addito citri, limoniorumve succo, optimum cibum faciunt.

XCV. Alkalescentia omnia flammam accendunt. Maximum est arcanum clyisma blandum, diluens, & refrigerans, in die ter, quaterve repetitum.

XCVI. Sub larva febris acutae plerumque latet intermittens, difficillima curatu, quia cognitu difficillima. Communibus non cedens remediis transit in habitualement, suique non immemor, praeter humectantia, diluentia, & refrigerantia corticem Kinae exposcit.

P H R A E N I T I S.

XCVII. **P**Hraenitis est: delirium stabile cum febre acuta ortum ducens ex affectione morbosa earum partium quae ad mentis operationes exercendas sunt necessariae.

XCVIII. Hanc generat specialis inflammatio, cum spirituum turbato motu, certaue partis corruptione. In sympathicam, & idiopaticam dividitur; rara haec, frequentissima est illa; quaelibet essentialis, aut symptomatice; perfecta, aut imperfecta.

XCIX. Sola vehementia veram, à non vera discernit: in nulla delirium necessario est continuum. Inflammatio aliquando phlegmonosa, fere semper phlogistica. Septum transversum frequentissima sedes.

C. Plethora, obstructio, aut diathesis eam antecedunt: fieri non repugnat sine primis, utique sine extrema.

CI. Aer occulta vi, aestu, aliisque affectionibus efficiens, & quidem potentissima causa, quaecumque impense calefaciunt, animique pathemata eam pariunt.

CII. Idiopatica tertio fere, quartove die necat, septimum raro excedit.

CIII. Paulisper ascendens immanis fit, solet in maniam abire, si septimum transgrediatur diem.

CIV. A peripneumonia lethalis, tuncque necessario adest, quum ingens inflammatio in pulmone consistit.

CV. Pessima est phraenitis, quae versatur circa necessaria.

CVI. Vomitus aeruginosus ex inflammati cerebri ratione; foex alvi, & urina interceptae, & albae; perpetua symptomatum permutatio periculi, mortisque sunt praesagia. Calidus sudor conferens; biliosa, crassaque excrementa, satis frequens pituitate sputtio, aut haemorrhagia uberrima, morbo in summo vigore constituto, sanitatis sunt signa.

CVII. Quum sedes caput est, seccanda est sub initiis vena brachii: Clysteres refrigerantes ante morbi vigorem repetendi: frictiones partium inferiorum, pro re nata adhibendae: exterius refrigerandum est caput. Victus tenuis; potus refrigerans, magis quum properat ad statum, minus quum descendit.

CVIII. Quod si diaphragma, & partes ei proximae primo afficiuntur, post sanguinis missionem, fordes per vomitum, aut sedem educere opus est. Etsi lacti nullum subesse locum fateamur, non dehortabimur serum.

CIX. Hyrudines retro aures, vel fronte magno sunt praesidio. Ad somnum arcessendum frigida capitis perfusio, pedum lotio, odor opii vino dissoluti, sine ullo discrimine adhibentur.

MANIA, ET MELANCOLIA.

CX. **A** Eger ob mentis laesionem, iam furens, & audax; iam timidus, moestusque cum, vel sine febre, maniaco-melancolicus habendus est.

CXI. Cerebrum, cor, & septum transversum partes sunt affectae, quas lenta, segnisque obsidet inflammatio, quandoque ab initiis, non raro ab aliis, praesertim hypochondriis communicata.

CXII. Solitae sanguinis evacuationes, praecipuae haemorrhoidum suppraesae, & cutis eruptiones illi tribuunt occasionem: ut quae à principiis generationis, temperamento, aut aetate diathesis procedit: aut per morbos praegressos in corpore relinquitur.

CXIII. Aer, Dieta, exercitia, & omnium maxime animi pathemata sunt in causa efficiendi. Mentis consternatio, ut plurimum silente febre adesse iam evincit.

CXIV. Longus est hic morbus, saepe ad annos sine discrimine extenditur: in phraenitidem, aut epilepsiam, frequenter lethales, desinit aliquando.

CXV. Vim habent ad salutem pedum intumescentia dolorosa, varices, haemorrhoides, dysenteria, aut vomitus pituitosi.

CXVI. Suppraessa sanguinis excretio venam indicat seccandam: Symptomata maniaca magnam postulant evacuationem, melancolica parcam. Hanc vomitus sequatur; Catartica sunt omnino necessaria.

CXVII. Morbus evacuationibus non cedit, donec non sit emendata diathesis, quod hepatica, & splenica perficiunt; dehinc balneatio sit ex usu. Crudus fons, cui liquor ex nitro, & marte sit immixtus optimum potum praebet. Cibi sint quam levissimi, sed paullo pleniores absente febre.

CXVIII. Exercitatio & frictio profunt; pinguis, vi-

rumque nocent; calidae antidoti, & purgationes, sanguinem ad ficius, & acrius convertentes, aegros reddunt furiosos.

CXIX. Si melancolica fuerint symptomata, stomacho potissimum succurrendum est; quum in ipso bilis atra resideat: quare in hoc insaniae genere solo vinum recte datur.

CXX. Opiata vel tenaciores reddunt vigilias, vel turbatos somnos efficiunt; prossunt refrigerantia, & humectantia.

APOPLEXIA.

CXXI. **S**ubita functionum omnium facultatis animalis defectio cum laesione respirationis coniuncta, dicitur apoplexia. Quum per se incipit repente hominem veluti percussum, sensu, & motu privatum prostermit. Fortem à levi noxa in respiratione distinguit.

CXXII. Praecipua sedes cerebrum, atque adeo cor afficitur.

CXXIII. Quantitatis, qualitatise excessus, morbus est hoc symptoma producens; cui sociatur intemperies; in ipsa substantia partium vitiata consistens.

CXXIV. Occasionales morborum causae illi potissimum inserviunt. Aer, dieta, & pathemata, nunc simul, nunc seorsim producant.

CXXV. Copia sanguinis communicationem cor inter, & cerebrum intercipiens: diathesis spirituum, qua in narcosim inclinant; extinctiove substantiae calidum nativum constituentis, hanc affectionem generant, senibus familiarem.

CXXVI. Quandoque signis praenuntiatur, sed non certo, sunt enim aliis morbis communia; plerumque inopinanter ingruit, hominemque veluti attonitum corruere cogit.

CXXVII. Deglutitio impedita, sudor frigidus, pulsus exilis, respiratio cum stertore mortem prae foribus esse docent. Interdum uno die strangulat, raro quartum excedit.

CXXVIII. Non, nisi per supervenientem nervorum resolutionem, natura quavis arte adiuta superat apoplexiam.

CXXIX. Febre nonnunquam solvitur vehementi ex genere aephemerarum, si statim superveniat: nusquam vero si posterius, aut lenta.

CXXX. In apoplexia à plethora citò vena brachii seccanda; postmodum iugulares aperiendae. Ab obstructione in visceribus infernis hospitante vomitorium nulla interposita mora praescribendum; alvus clysteribus acribus sollicitanda: vesicantia cruribus, aut accipitio apponenda.

CXXXI. Interius ea conferunt, quae viribus roborandis, nervisque movendis, citra insignem caliditatem, nata sunt.

VERTIGO.

CXXXII. **A**ctio imaginationis depravata, quare vera consistentia, in gyrum, vel quovis alio motu videntur agitari, communi vocabulo vertigo audit. Motus, & visus ratione variat. Aegrotantes & sese, & exteriora sentiunt circumferri: huc, illucque moveri; & sine, & cum visus amissione; apertis nunc oculis, nunc clausis.

CXXXIII. Licet vitium aliunde petatur, sensorium commune, qua parte imaginationis operationes peraguntur, affici tenemus.

CXXXIV. In oculo, vel eius nervo causam quaerere, potius est modum fingere, quam inquirere veritatem.

tem. Specialem cerebri intemperiem, ad quam sequitur, ingenue fatemur ignorare.

CXXXV. Nimum calorem, aereamque spirituum constitutionem praesto esse, quis neget? Hisque temperamentum cerebri, quoad substantiam vitiatum, comes additur.

CXXXVI. Inter occasionales causas deterior est spirituum diathesis, deinde obstructio, levior omnibus plethora.

CXXXVII. Aer ita efficit vertiginem, ut periodos illius constitutioni respondentes potius sentiant vertigine tentati, quam aliis vexati morbis.

CXXXVIII. Affectio est ex se longa, celeres eius repetitiones; atque in maniam, epilepsiam, aut apoplexiam facile convertitur.

CXXXIX. Nedum exsolvitur haemorrhagia, sed eam antecedere solet. Copiosi, diutiusque repetentes vomitus, adeo sunt utiles, ut vomitionis coindicans saepe sit vertigo.

CXL. Quum sanguini quovis modo suppraesso adcribitur, opportuna est venae sectio; secus nocet, vertiginem auget, & apoplexiam accersit.

VXLI. Alvus lubrica fructuum, & herbarum ope prodest, non autem vi purgantium: rectus clysterum usus; frictiones crurum, frigida capitis perfusio. Acida vegetabilia motum spirituum sedantia, sunt utilia.

EPILEPSIA.

CXLII. **E**Pilepsia motus est convulsivus totius corporis, sed praesertim faciei, cum sensu um, mentisque laesione.

CXLIII. Divisionem in veram, & non veram admittimus, modo à maiori, minorive vehementia desumatur: hinc nulla sine mentis, ac sensuum laesione.

CXLIV. Non est perpetuo verum concussionem non esse continuam, sed per intervalla in ipso paroxismo.

CXLV. Cerebro cor compatitur, & è contra: unde perpetuo afficitur utrumque; quin saepe malum aliunde procedit. Sequitur intemperiem, qua ipsa partim affectarum substantia peculiari modo vitiatur.

CXLVI. Nisi spiritibus, ac partibus specialis insit diathesis morbum non parient plethora, & obstructio. Illa quibusdam venit à generationis principio, aliis à vitio humorum, spirituumque determinato.

CXLVII. Aer occulta insensus vi, animique pathemata morbum fonticum generant prae aliis, omnium maxime pueris familiarem.

CXLVIII. Morbus est ex se longus; paroxismus acutissimus, ac periculo plenus; facile vertitur in apoplexiam, & interimit.

CXLIX. Aetatis, victus, locorumque mutatione forte depellitur; facilius si ante pubertatem contigerit. Quibusnam post viginti quinque natis annos evenit, plerumque commoritur. Quartana praecavet futuram, & praesentem exsolvit.

CL. In paroxismo epileptico motus convulsivos in totum cohibere, est eius solutionem retardare. Ex usu sint frictiones, ac ligaturae: Vena brachii in ipsa secetur accessione, si sanguinis suppraessio sit in causa. Vomitus autem provocandus, si fomitem dederit obstructio: prosunt etiam clysteres.

CLI. Morbus primum incipiens tractandus est ut acutus, postmodum, si maneat, curandus iam ut longus.

CLII. Improba victus ratio caetera medicamina facit irrita.

CLIII. Ex evacuationibus pro diverso morbi genere aliae sunt instituendae, fugiendae aliae. Quaecumque circumferuntur specifica, uno demto cortice peruviano, sunt vel nugae, vel dola.

ANGINA.

CLIV. **M**orbus acutus gutturis, aut faucium cum sensu angustiae, deglutitionis, aut respirationis difficultate coniunctus est angina. In organi, aut intemperiei vitio consistit. Haec inflammatoria, vel ignota.

CLV. Respiratio vitiata non à pulmone, partibusque inferioribus respirationi intervenientibus, sed à laryngis, seu gutturis affectione procedit.

CLVI. Per destillationes fieri, aut foveri solet angina, in exquisitam, & notam bipartita. Hominem cito, vehementerque laedit prima, ab occulta, malignave causa guttur occupante procedens: Secunda fauces vitiat, modo inflammatorio acri humore, modo crasso corruptionem inducente: & haec vel est benigna, vel maligna iuxta modi, causaeque varietatem.

CLVII. Differentias ab humoribus, ac symptomatibus desumptas, ad effectus referimus. Licet vasa sint repleta, aut viae oclusae, nisi propria diathesis accedat, morbus hic non ponitur.

CLVIII. Licet ex genere sit inflammationum, vitiis humoris inflammati communibus non coercetur. Modo suppuratur, modo resolvitur, quandoque transit in gangrenam.

CLIX. Aer praesepe hanc efficit, quum vi manifesta, quum occulta: Dieta copia vel qualitate nocet: animique pathemata idem praestant. Viros potius quam foeminas; iuueues magis quam pueros, senesque corripit.

CLX. Si aeger inquietus crebro exiliat, nec intelligit, quid dicat, audiat, aut gerat, celerrime moritur. Rubore atque tumore foras, in collo, & pectore apparentibus, salutis spes affulget.

CLXI. Quaecumque sit, celeris est, quarto, aut septimo die, si maligna; decimoquarto si benigna, desinit, nec discrimine caret.

CLXII. Omnis angina venae sectionem ex brachio dicitur postulare; sed quae latet in gutture, aut in faucibus cum ulcere maligno se prodit, vel nullam, vel exiguam fert sanguinis missionem.

CLXIII. Dieta sit tenuis, refrigerans, modiceque reficiens; quae humores exagitant, vitentur.

CLXIV. Tinctura kinae fortis, & bene saturata, tum per os, quum per sedem anginae ulcerosae medetur.

CLXV. Larimgothomia non est aspernenda, sed raro, immo & rarissime tentanda.

CLXVI. Purgantibus nulla auscultat, nec emeticis cedit; ab utrisque saepe intenditur.

SANGUINIS SPUTUM.

CLXVII. **R**eiectio sanguinis per os symptoma naturam. Soluta partium unitas eius generatrix, & adruptionem, apertionem, aut erosionem commodè reducit.

CLXVIII. Plethora rumpendo, aut aperiendo vasa sanguinem cogit fundere; magna, tenaxque obstructio illum corrumpit; diathesis, tandem, plurimum confert in hoc morbo.

CLXIX. Quibus vasa sunt exilia, aut debilia, quam facile aperiuntur, aut rumpuntur.

CLXX. Quum manifestis, tum viribus occultis aer cruorem reiicit: nedum per plethoram, & obstructionem; sed & multis diversisque modis, sanguinis sputum efficit dieta: motus animi illud producere, fovere, & exitare latet nemini.

CLXXI. A capite, sine tussi eiicitur crassus, ingreſſens, & grumofus; quandoque vero tenuis. Ex tussis vehementia noscimus, num thorax, num trachea laeſa ſit. Si cruor fertur à pulmone, ſpumans, tenuis, & floridus per tuſſim ſine dolore educitur; cum illo autem à trachea.

CLXXII. Rupta vena ſubito emittit ſanguinem: qui ab eroſa educitur pravi coloris, & odoris eſt.

CLXXIII. Levamen aſſert ex pulmone apertis vaſis ob ſuppraeſſas evacuationes eiiectus; non ita ſi ab eroſis, aut diſruptis.

CLXXIV. Cruento occurrens ſputo ſiſtat primo, ac revellat. Poſtea, ſpiritus vitrioli, electuarium peruvia- num adſtringens, fricctiones, ligaturae conveniunt.

CLXXV. Peſſima eſt Medicina, quae in omni ſanguinis reiiectione venam ſecat. Dieta melius praecavet, quam medicamenta. Parciffimus ſit cibus, lenia exercitia, omnia moderata. Caput tondendum, facies ſaepe aqua frigida fovenda.

CLXXVI. Acria, & calida inimica ſunt intus extuſque. Si à ruptione, aut apertione cruor fluat, lac vitandum; quod magnum eis eſt praefidium, qui ab eroſione laborant. Medicamenta blande temperent, modiceque conſtringant.

SYNOPSIS.

CLXXVII. **I**ntegra virium exolutio saepe subita, interdum lenta cum extremi corporis frigidity, & sudore, omniumque vitae functionum imminutione, syncopa apud medicos audit. Diversos agnoscit gradus, diversae virium laesioni respondentes.

CLXXVIII. Morbus est intemperiei in vitiata partium substantia. Cor semper afficitur: nunc malum in ipso firmum haeret; nunc aliunde, maximeque recipit à stomacho.

CLXXIX. Nimia sanguinis copia in vasis cordi proximis opprimens, atque suffocans spiritus, syncopam inducere solet: obstructio vires opprimit: dissipat, corrumpitque diathesis.

CLXXX. Iam nimio calore, iam vi occulta efficit morbum aer. Omnibus poene modis creat illum dieta: Animi pathemata vitiando, dissipando, aut opprimendo spiritus syncopam producant.

CLXXXI. Interdum subito hominem exanimat; alios interdum morbos sequitur. Est acutissimus, paucarum horarum spatio plerumque interimit.

CLXXXII. Sub initiis forte curationem admittit, confirmatus lethalis. Idcirco vires cito sunt reficiendae; iusculum cui aliquot aquae theriacalis guttulae sint immixtae parum, & saepe repetendum est: iulapia cardiaca blanda coeleatim summantur: extremae partes leviter fricentur: naribus acetum plusquam spiritus decantati prodest. Sic à fortissima liberavimus syncopa, haec dum scribimus, Excellentissimum Principem N. in quam ab ira tempore, quo purgans assumptum operabatur, incidit.

CLXXXIII. Quaevis calida, & vehementia remedia aliquid opis attulisse prima fronte videantur, in recessu

su magna pariunt damna ; adeoque reiicimus , ut nocua. Arte curandum , ut aer sit frigidiusculus , stomacho temperate frigida applicentur.

CLXXXIV. Quamvis evacuatio nocet ; hinc venae sectionem , etiam praesente plethora , damnamus.

CRUDITAS VENTRICULI.

CLXXXV. **P**raeter naturalis alimentorum in ventriculo alteratio , qua vel non mutantur prout oportet , aut in diversam , quam pro naturae instituto indolem convertuntur , est ventriculi cruditas. Symptoma est actionis concoctricis , organi , vitium , intemperiem , aut solutam sequens unitatem. Pars affecta ventriculus , cui ex aliis damnum communicari potest.

CLXXXVI. Praeter differentias caeteris communes , huic proprium est morbo , diversis modis laedere : hinc alia est superficialia ; alia in habitum versa.

CLXXXVII. Ingesta , aut tarde conquocuntur , aut in pravam indolem mutantur , huc variae ciborum putrilagines referuntur.

CLXXXVIII. Plethora sanguinem iuxta partes stomacho vicinas cumulans , ad hunc morbum disponit. Obstructio , tum vias occludendo , quum vitiando alimenta. Atrabile vexati , scorbutici , febribus malignis correpti , quas diathesis foveat cruditates , ostendunt.

CLXXXIX. Anni tempestates , temporumque constitutiones mutationem in appetendis , concoquendisque cibis efficientes , aeris vim ad producendas cruditates palam faciunt. Dieta millenis male gubernata erroribus , eas summe noxias inducit. Stomachi functiones turbant animi pathemata , ansamque praebent cruditati.

CXC. Ad illam senes , puerique , iuvenibus ; foeminae viris ; debiles robustioribus propendent.

Re-

CXCI. Repente oborta tempori, ac naturae, potius quam medicamentis comittenda. Remedia specioso stomachicorum ornata titulo, inania & officiosa iudicamus.

CXCII. Temperatae virtutis, moderata praeditum adstrictione in cruditatibus extemporaneis sit remedium. Externa magno sunt praesidio.

CXCIII. In habituali inquirendus est status, temperies, constitutio. In omni prospiciendum ventriculo. Haustus aquae frigidae inter commedendum stomacho languenti prodesse, notum est.

CXCIV. Purgatio potius auget, quam aufert cruditates.

CXCV. Sanguinem tuto mittimus, si morbum fecerit suppraesus. Illi frictiones sunt evacuationi. Quod si repletus sit stomachus, vomitus est tutissimus.

DOLOR COLICO-ILIACUS.

CXCVI. Affectio intestinorum dolens, cum praeternaturali eorum versus superiora motu, dolor est colico-iliacus: modo tenuia, modo crassa occupat intestina: nunc fixus, nunc inconstans.

CXCVII. Inversus intestinorum motus versus superiora, vomitus ferme perpetui, & alvi inferioris adstrictionis est causa.

CXCVIII. Saepe ad intemperiem, raro admodum ad solutam unitatem sequitur hoc symptoma. Potissima eius generatrix vitiata est partium substantia: saepissime inflammatio.

CXCIX. Accurata prognosis & curatio dabuntur ex affectis intestinis: si tenuia laborant, in illiacam: si crassa in colicam magis vergit affectio: haec potius in chronicam, illa vero in acutam.

CC. Tametsi divisionem, in humoralem, inflammatoriam, spasmodicam, caet. ut impropriad relictimus, non volumus omnino contemnendam.

CCI. Vasorum repletio huic morbo ansam praebet; quem accersit obstructio, praesertim quae intestinorum replet tunicas. Diathesis utrique accedens ad hunc morbum prae aliis producendum determinat.

CCII. Licet inflammatio non unica, neque perpetua sit huius morbi causa, frequenter comittatur, aut producit.

CCIII. Quantum valeat aer ad hunc morbum, evincunt aestas, & autumnus, in quibus magis viget: Multum confert dieta, cibis, potibus, exercitiis, aliove modo corpus excandescens: Motus animi ad iram inclinantes, quid non facient?

CCIV. Febris perpetuo morbum comittatur; multa sitis, potationibus non quiescens.

CCV. Perpetuum non est affectionem hanc in salutem, aut mortem directe terminare; quin saepe in paralysim, aut epilepsiam. Quum semel occupavit, nullo negotio iterum invadit.

CCVI. Stante inflammatione extemplo sanguis est mittendus primum ex brachio, aliunde ex pede; dandaque opera, ut crudi humores, si adsunt, excernantur: nec omittenda diluentia, laxantia, & refrigerantia. Interea clysteres pro re nata iniiciendi; crurum frictiones, ac lotiones; cucurbitulae ad femora conducunt.

CCVII. Si febris post nonum diem remisserit, venterque laxus sit, neque renitens, purgatio instituitur. Omentum vervecis recens, vesica bubula lacte calido repleta, sed prae omnibus stercus suillum recens, mira praestat.

CCVIII. Vitiosorum humorum, aut stercorum proventus exigunt purgationem, non ante instituendam, quam

quam vena secetur. Oleum amigdalorum dulcium recter extractum, ab ipsis morbi initiis propinandum est.

CCIX. Quaevis artis auxilia saepe eludit, forte quia etsi plethora & obstructio cedant: diathesis malum fovens tamen durat.

CCX. Specifica Diathesi colico-iliacae tollendae appropriata desiderari credimus: at tincturam minerae martis nativi à Theodoro Wanzelst inventam in podagrica diathesi efficacem experti sumus. Cuius descriptio in Matritensi pharmacopea adducta est valde manca.

Fernandez de Gatica Cens. Reg.

Imprimatur.

*D. Ioannes Antonius Mayans,
Can. & Univ. Val. Rector.*

quam vena fecerit: Oculum antiphalarum dulcium re-
centor extrahunt, ab ipsa morbi initio propinandum
est.

CCIX. Quaevis artis auxilia saepe eludit, forte
quia est plethora & obstructione cedant: diarrhoea in-
terveniens tamquam duratilis, & intractabilis, tollenda
est. Speciebus Diarhoeae colicae, bilisae, tollendis
appropinquata debetant ordinari: at tunc tam nunc
mantis nativi a Theodoro W. anales inventum in pod-
rica diarrhoea efficacem experti sumus. Cuius descrip-
tionem Martenii pharmacopoea addidit, est valde
manea.

Tennant & Gahan Cap. 18.

D. Tennant & Gahan Cap. 18.

Cap. 18. Tennant & Gahan Cap. 18.

Cap. 18. Tennant & Gahan Cap. 18.

Cap. 18. Tennant & Gahan Cap. 18.

Cap. 18. Tennant & Gahan Cap. 18.

Cap. 18. Tennant & Gahan Cap. 18.

Cap. 18. Tennant & Gahan Cap. 18.

Cap. 18. Tennant & Gahan Cap. 18.